

enim sinam vt impune me luserint. Si Linacri Galenus aduectus est e Lutecia, rogo emas. Bene vale cum tuis omnibus, amicorum suauiissime. M.D. XVII[I].

## 688. FROM THOMAS MORE.

Farrago p. 178.

F. p. 317: HN: Lond. vii. 5: LB. 540.

Calais.

25 October &lt;1517&gt;.

THOMAS MORVS D. ERASMO S. P. D.

ACCEPI, mi Erasme, literas ab Ventfordo, quas per eundem tabellarium protinus ad te transmitto: ex quibus hominem facile deprehendes antiquum adhuc morem obtinere. Non petam vt ignoscas quod tuas aperui; vides enim vt scriptae tibi sic mihi inscriptae sunt. Nec dubito quin eodem errore ad me contra scriptae sint quae sunt inscriptae tibi; quarum ego legendarum tam auidus eram vt resignare non libuerit. Si quid in his videris quod me putabis velle scire (quod ego certe non puto), significa. Opinor ad te perlatas quibus te certiore facio de recepta tabula; de qua rursus, ac milies, mi Erasme, rursus, tibi ago gratias. De Petro tuo postquam iuit in Angliam nihil audio. Vtinam ibi tuum vere dignum rege munus aliquid tibi ab Rege conciliet boni! Feliciter tibi cedat quod iniunxit *Ἀυτοκράτωρ*: nam ipsi succedit nihil, imo per Deum omnia. Tuum consilium probo, qui non vis principum negociosis nugis implicari: et me plane amas, quum iisdem optas vt extricer, in quibus haud credas quam inuitus versor; neque potest quicquam esse odiosius quam haec est legatio. Nam et relegatus sum in oppidulum maritimum et solo et coelo iniucundum; tum domi qui meapte natura vehementer ab litibus abhorream, etiam quum lucrum adferunt, quantum necesse est hic adferant taedium, quum veniant comitatae damno. Sed dominus benigne pollicetur omnia repensurum Regem. Quum recepero, faciam vt scias. Interim vale; tu fortassis vltra non optas. Domino Leo multam ex me salutem dicito, et Palgrauo nostro, si rediit. Iterum vale. Caleti. xxv. die Octobris. [M.D. XX.]

687. 28. M.D. XVIII *add. H.*  
comitante N<sup>2</sup>. 22. vltro F.  
*add. H.*

688. 11. ibi *om. N.* 20. comitate N<sup>1</sup>:  
23. Domino E: Eduardo F. 24. M.D. XX

687. 26. me luserint] over the prices of books; cf. Ep. 629. 5 seq.

Galenus] See Ep. 502. 15 n.; and cf. Ep. 690. 8.

688. 1. Ventfordo] See Ep. 196 introd.

4. scriptae tibi] Cf. Ep. 772. 1, 2.

8. perlatas] Ep. 683.

21. dominus] Wolsey.

23. Leo] See p. 203.

Palgrauo] See Ep. 499. 8 n.